

Q. K. 352, 22.

DISSERTATIO ETHICA

De

AFFECTIBUS
HUMANIS,

Quam

Deo adjuvante

In

Laudatissimo Musarum ad Albim Emporio;

PRÆSIDE

DN. M. NICOLAO BENEDICTO

PASCHA,

Philosophicæ Facultatis Adjuncto
gravissimo,

DN. Patrono ac Populari suo obse-
quioso cultu ætatem devenerando ac
suspiciendo,

P. P.

DANIEL PAULI,

Zittavia Lusatus.

A. & R.

D. Januar. eb. Isc LXXVII.

H. L. Q. C.

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI.

X 1864157

He. fund. mit 309 46.

7,173

II f
1243

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

107
BIBLIOTHEK
ZITTAU



DEO
PARENTI
&
Præceptoribus.



I. N. J.

Miraberis fortasse, L. B. quid me in
presentibus pagellis tam fecundam
lateq; sese extendentem materiam
tractare commoverit. Verum enim-
verò, si dignitatem, jucunditatem &
utilitatem consideraveris, fieri non potest, quin e-
vanescat omnis admiratio. Namq;, nemo tanta
eloquentiae copia instructus, ut se, pro ipsius digni-
tate verba facere posse, confidat. Informatur au-
tem homo hanc doctrinam, quae ratione affectus cognos-
cere, eos, rectae rationis freno coercere, & sic se-
cundum virtutem vitam vivere debeat. Quid
secundum virtutem vivere heic sit, non est quod
explicem: quum nemini non notum sit, nihil aliud
esse, quam Boni & Felicitatis. in hac vita fruitio.
Pervulgatum deinde est, hominem duabus diver-
sissimis partibus, anima videlicet & corpore con-
stare: unde perpetua appetitus & intellectus pu-
gna: ad hanc a. sedandam, opus habemus doctri-
nam de affectibus, quae, eos ad mediocritatem redi-
gamus, & à ratione retrahamus. Præterea, cogni-
tionem

tionem affectuum habere, tam Theologo quam
Jure-Consulto ac Medico futuro, opera precium
est. Ut autem nihil dicam de ceteris: Quis un-
quam in tantâ actionum & circumstantiarum
varietate, in condendis vel interpretandis Legi-
bus, hâc doctrinâ carere potuit? Testatur expe-
rientia rerum magistra, omnia errata mortaliū,
aut pacato, aut perturbato perpetrari animo; qua
propter momenta maxima sunt, curiosè ac dili-
genter affectus nôsse, ut eò felicius sententia de
hoc vel illò delicto dici, & æquitatis in pœnarum
inflictione ratio haberi queat. His præmissis, ju-
bare meridiano clariùs prostat dignitas & neces-
sitas bujus doctrinae. Unde etiam Thema, quod
loco Exercitii Academici pro virili edi debebat, de
affectibus humanis tractare constitui, illud tamen
monendum, me non tam docere velle alios, quàm
monere quid fieri debeat. Deus faxit, ne fru-
strâ:

Aphorismus I.

Affectus sunt passiones sive motus, ap-
petitus sensitivi, orti in corde, ob no-
titiâ Objecti, vel boni, quod prose-
quuntur, vel mali, quod fugiunt.

Exegetis.

§. 1. Etymologiam non est ut pluribus exprimam,
quum

quum singulis notum sit, affectus ab afficiendo dici, quia
cor s. animam afficiunt.

§. 2. Sed, ambiguitas removenda erit. Variè enim
vox affectus apud Autores accepta reperitur. Sumitur
enim vel *generaliter*, vel *specialiter*. *Specialiter* nimirum
illud dicitur, cum in specie vel bonos, vel malos in-
telligimus. Ita, Romanæ eloquentiæ princeps a) eos
vocat *animi perturbationes*, quia animum in contem- a) Cic. l. 8.
plando atque agendo perturbant. Item b) *commotio-* Officiorum.
nes animi adversas à rectâ ratione contra naturam. Verùm b) 4. Tuscul.
quia hoc vitiosorum saltem est affectuum, in specie *Quest.*
hoc nomen affectibus malis competit. *Generaliter* ve-
ro accipitur, cum indifferenter & bonos & malos in-
telligimus. Quâ ratione etiam ab Ethico ad auream
mediocritatem rediguntur.

§. 3. A Graecis & Rege illo Peripateticorum Ari-
stotele c) nuncupantur *πάθη* per Synecdochen Generis c) Lib. II. ad
pro Specie: cui respondet Latinorum *passio*. Nonnun- Nicom. c. 5.
quam enim homo maximam alterationem in corpo-
re pati, cogitur. Alii, inter quos non ultimus acutis-
simus *Thomasius* d) appellant *actus*, quæ potentiæ con- d) Tab. IX.
tra distinguuntur, non enim in potentia, ad hoc bo- Philof. Pract.
num vel malum inclinando consistere, sed in ipsis a- lin. 27.
ctibus, statuunt. Ab aliis denique nomen obtinent,
motus, quæ vox tam actionem quàm passionem signi-
ficat, magis tamen passionem quàm actionem, unde
etiam *passiones* potius, quàm *actiones* dicuntur. e) e) Heereb.
Quam acceptionem & nostram facimus. Coll. Etb.
Disp. XII.

§. 4. Non autem affectus heic consideramus *ratione*
essentia, quatenus de iis *Physicus* in Sphærâ suâ *Physica*
agit: neq; *ratione efficientia*, quatenus de illis *Rhetor*
in *Rhetoricis* suis libellis: sed cum *Ethico* eos per-

pendimus ratione indifferentia, quatenus sunt motus cordis, in se indeterminati, ad mediocritatem tamen determi-

f) Conf. Beat.
Wendl. Phi-
los. Pract.
c. 6.

nandi. f)

g) Beat.
Sperl. Inst.
Physic. VII.

§. 5. Generis locum in Definitione posita, tenent passiones sive motus: latius enim patet motus sive passio, quam affectus: cum omnis affectus sit passio, sed non contra. Non verò motum illum corporis, quo aliquid aliud atque aliud acquirit locum, g): sed talem, qualem modò descripsimus in præcedentibus, nimirum motum animi intelligimus.

§. 6. Differentia petitur, partim à Subiecto, quod est, 1) appetitus sensitivus internus hominis, 2) cor humanum; partim ab Objecto, quod est res appetenda vel fugienda. Ast hæc in progressu paulò uberius explicaturi sumus.

Aphorismus II.

Subiectum affectuum est, vel principale, vel minus principale. Subiectum principale solus homo est: Subiectum autem minus principale iterum duplex: vel cor, vel facultas appetens, & hæc vel concupiscibilis vel irascibilis.

Exegetis.

§. 1. Subiectum affectuum vocatur, cui affectus inhaerent, idque in præmissis aphorismo in principale & minus principale, divisum est.

§. 2. Per Subiectum principale Philosophi, I. non intelligunt Deum, licet in Sacris a) legatur, illum amare pios & odio habere impios; quoniam in Deum non cadunt

a) Jer. 31. v. 3.

cadunt affectus. Sed potius hæc ex sacris allegata
attributa Dei esse: (Quæcunq; verò attributa de Deo
dicuntur, illud Deus ipse est. v. g. Deus dicitur mi-
sericors, imò ipsa misericordia.) & affectus de ipso dici
autumant, per ἀνερωποποθεϊαν, non quòd ei insint, sed quòd
similia effecta eorum de ipso prædicentur, ut loquitur Men-
zerus. b)

§. 3. Deindè, neque Angeli, pro idoneo ac pro-
prio Subiecto principali affectuum haberi possunt: quam-
vis etiam gaudere & lugere dicantur. c) Sunt enim in-
corporei, d) proptereaque in illis nulla est spirituum
commotio, quæ affectus præsentis comitatur. e) No-
tum est, quod in homine lætante, vitales spiritus in
corde formati dilatentur & effundantur; in lu-
ctuoso verò coarctentur & constringantur. Quod
remotis hisce spiritibus fieri nequit.

§. 4. Neq; tandem brutum loco Subiecti principalis
ponendum, quoniam heic non de brutorum, sed ho-
minum affectibus sermo est. Negari quidem non
potest etiam bestias inflammari affectibus f) sed di-
stinguendum inter affectus crassos & subtiles g) illi, no-
biscum brutis communes, hi vero solius hominis
sunt; illi, in appetitu sensitivo, hi verò in anima ratio-
nali locum habent: id quod etiam modo laudatus E-
thicus Lugdunensis h) vult, distinguens inter affe-
ctus puros & mixtos. Affectus puri inquit, nihil habent
participatum à ratione, ideoque brutis attribuuntur.
Affectus autem mixti, quia cadunt in animam rationa-
lem, solius sunt hominis.

§. 5. His visis, facilè ostendi potest, verum af-
fectuum principale Subiectum quod est homo & quidem totus,
Quemadmodum enim totus homo videt, ita quoq;
TOTUS

b) Exegef-
August.

Conf. p. 34.

c) Luc. 15, 10.

d) Eph. 6, 2.

e) Heereb.

Coll. Eth.

Disp. XII.

f) vid. Arist.

Lib. IX. de

Hist. Ani-

mal.

g) L. Val. Al-

berti P. P.

Lips. Prac.

nestor fidelis.

h) Heereb.

Coll. Eth.

Disp. XII.

quod ad hunc modum, quod ad hunc modum etiam, proprium ac peculiare Subjectum visionis oculus est, ita totus homo quoque afficitur, & eorum Subjectum totale est; sed nihilominus peculiare ac proprium Subjectum habetur, quod est *cor & facultas anime sensitivæ appetitiva*.

§. 6. *Subjectum minus principale, si respicitur, duplex reperitur, vel cor vel facultas appetitiva anime sensitivæ. Cor nempe est proximum, inter organa & membra corporis subjectum; & facultas appetitiva anime sentientis quæ latet in corde, est immediata facultas cui affectus illi insunt.*

§. 7. *Facultas autem appetens, vulgò ab Ethicis duplex constituitur, vel concupiscibilis vel irascibilis. Per concupiscibilem agnoscunt motum, quo homo bonum appetit, & malum averfatur. Per Irascibilem motum, quo malum & noxium propulsat. Propterea etiam, pro partis utriusq; diversitate generatim distinguuntur affectus, de quibus infra,*

Aphorismus. III.

Causæ affectuum sunt efficiens & finalis, illa duplex, vel interna vel externa.

Exegetis.

§. 1. *Jam ad affectuum causas deveniamus suadet Methodus. Sunt autem vel efficiens vel finalis.*

§. 2. *Causa affectuum efficiens hic duplex est, altera externa, altera interna. Altera, quæ vocatur externa, est ipsum Objectum quod per sensum affectus excitat, situmque est in alio Subjecto quam ipsi affectus. Talis causa efficiens externa est formæ & ingenii dignitas, propter quam hunc vel illum amore prosequa-*

quamur. Sic, propter pretiositatem adamantem,
chariorem habemus siliice: hanc pretiositatem ra-
men non in nobis, sed in Objecto, quod sensus no-
stros movit, appetitumque creavit, nemo non videt.
Altera, quæ dicitur *interna*, latet in ipso Subjecto, &
ab *externa* quasi irritatur & excitatur. *Sub-dividitur*
autem ab Ethicis in *principalem* & *minus principalem* seu
instrumentalem. *Illam remotam* & *proximam*. *Remota*
est ipsa facultas appetens, sub quâ sensus & ratio
hominis comprehenduntur. *Hæc vero sc. minus prin-*
cipalis est humorum & spirituum temperatio, & à Me-
dicis complexio vocatur. Multum spirituum & hu-
morum temperiem & intemperiem, caliditatem &
frigiditatem, siccitatem & humiditatem ad affectio-
num concitationem conferre, partim ex Physicorum
& Medicorum scriptis colligere licet; partim etiam
experiendo cognoscimus. *Distinguit autem hic alibi*
citatus Batavus a) inter *subjectionem in totum* & *ex par-* a) *Heereb.*
te. Quemadmodum enim mores non semper se- *Coll. Eth.*
quuntur temperiem, & multa præsentia Physiogno- *disp. XIII.*
morum à libero arbitrio corriguntur & mutantur:
Ita quoque contra temperiem spirituum & humorum,
nonnunquam affectus à libero arbitrio retrahuntur.
§. 3. *Causa affectuum finalis*, est *actionum alacri-*
tas, & agilitas. Quicquid enim sine affectu fit, segni-
ter & cunctanter peragitur, ac quod cum affectu per-
ficitur, promptè ac expeditè terminatur. Non sal-
tem de homine, verum etiam de brutis hoc verum.
Nam vertagi sive canes venatici, diuturnâ assuefactio-
ne moti, magis infestigant feras, quam catelli meli-
tai & canes villatici. *Lycurgus Legislator Lacedæmonio-*
rum, hoc optimè expressit, cum in quâdam concio-
ne po-

b) vid. Pu-
tarch. de
Puerorum
educ. c. 4.

ne populo proponeret duos diversâ ratione educa-
tos catulos, dicens: *bi iisdem nati sunt parentibus diversâ
tamen educatione alter ventri deditus, alter venaticus factus*
est: b) *finis* etenim affectuum, ut dictum, quandam
alacritatem, ex diuturnâ consuetudine tam boni
quàm mali secùm trahit.

Aphorismus IV.

Præsenti Aphorismo quatuor affectuum
divisiones adducere lubet: nimirum 1) di-
visionem in affectus appetitus concupiscen-
tis & irascentis, 2) in affectus naturales & mo-
rales 3) in bonos & malos & 4) in consultos
& in inconsultos, vel, ut alii vocant, in prima-
rios & secundarios.

Exegetis.

§. 1. Quemadmodum in antecedentibus affe-
ctuum Definitionem, Subjectum & Causas consideravimus: ita
jam progredimur & eorum Divisionem contempla-
mur. Variæ autem hinc inde affectuum divisiones à
Philosophis enumerantur, quarum quatuor adduce-
re sat erit.

§. 2. I. Scholastici, plurimique Philosophiæ
Dd. eos, in affectus appetitus concupiscentis & irascentis
dividunt. Quid per concupiscentem & irascentem appe-
titum intelligant ex præcedentibus videre est.

§. 3. Deindè usitata quædam Ethicis divisio est, qua
in naturales, & morales dispescuntur. Morales sunt, qui per
crebram longamque exercitationem ex educatione
sunt contracti. v. g. cupiditas vestimentorum puri-
tatis

tatis &c. Naturales qui à naturâ & per naturam nobis
insunt, v. g. Cupiditas laudis, honoris &c.

§. 4. Tertiò Dividuntur in bonos & malos, illas juvare
& perficere rectæ rationis præscriptum: hos verò natu-
ram destruere & sequi rationem errantem, certum est.

§. 5. Deniq; affectus discriminantur, in incon-
sultos & consultos. Illi, sine consensu oriuntur rationis,
cum homo, antequàm rationis iudicium adhibeat,
ex improvísò in rem aliquam venustam & delectabi-
lem sive ingratham & averfabilem, movetur & quasi in-
vitus cogitur. Hi verò cum consensu rationis; cum
homo rem intra rationis gyrum revocatam sequitur,
vel prosequendo vel fugiendo prout iudicium ratio-
nis fuerit vel rectum, vel erroneum.

§. 6. Cum verò hæ divisiones examine adhuc
indigeant; meritò eas heic mittimus & vulgatissi-
mam tritamque illam nostram facimus, quando il-
lorum alii ad appetitum concupiscentem, alii ad irascentem
referuntur.

§. 7. Sunt autem appetitus concupiscentis sex spe-
cies: nimirum Amor, Odium, Desiderium, Fuga, Gaudium
& Tristitia. Et irascentis quinque: Spes, Desperatio, Ti-
mor, Audacia & Ira. Interea, si quis cum Aristotele a)
& Thomasio b) iram ad appetitum concupiscentem,
referre vult, non repugnabimus. De singulis spe-
ciebus in sequentibus.

a) Arist. Lib.
1. de Anima.
b) Thom.
Tab. IX. ubi
in Anot. plu-
res citantur
Auctores.

Aphorismus. V.

Cum descendendum est ad Species affe-
ctuum; in facultate concupiscentis præcipue

B 2

sex

sex inveniuntur ut Amor, Desiderium, Odi-
um, Fuga, Gaudium & Tristitia.

Exegetis.

AMOR §. 1. Ante omnia in frontispicio nobis occur-
rit *Amor*, qui merito principem locum sibi vendicat;
Nam, fons est omnium actionum quae bonum spectant, a)
a) Liebeneth. Definitur heic, quod sit affectus appetitus concupiscentis, ten-
Coll. Eth. dens in bonum sibi praesens. Ambiguitas & divisio brevitatis
Exer. VI. ergo heic & insequentibus speciebus consulto omit-
retur; & saltem causa & effecta adducentur.

§. 2. Unica vero & adaequata amoris causa est Bo-
num, nihil enim amatur, nisi bonum, sive sit verum
sive apparens. Sub bono autem illo haec quatuor com-
prehenduntur: 1) Virtus, quae res est pretiosissima;
nulla enim possessio, nulla vis auri & argenti, pluris quam
b) 6. Para- Virtus aestimanda est, inquit aquila Romana eloquentiae, Ci-
dox. cero b) 2) similitudo morum studiorum & fortuna, quum
simile in simile agat & aequalis aequalem optime dele-
ctare possit. 3) Utilitas, vel ex receptis beneficiis, vel
ex recipiendis. 4) Honores nobis tributi, &c.

§. 3. A causis ad effecta progrediendum, quorum
Heereboord ex Thoma Aquinate VII. recenset. 1) Quod a-
mor, re amata, amatoris animum flexilem reddat, ut facile
ducatur ad officia obsequenda. Damnum hujus rei exper-
tus est Sardanapalus vir ille muliere corruptior,
c) Just. Lib. conf. Just. c) 2) Quod absentia rei amata, in animo a-
1. c. 2. mantis languorem & tristitiam & 3) contra praesentia gau-
dium & letitiam gignat. 4) Quod voluntatem amantium
jungat. 5) Quod interdum animorum profectioem, 6)
interdum etiam Zelum procreet. 7) Quod inde amans sa-
pe

pe optet in rem amatam mutari, ac pro amico etiam mortem
obire, non dubitet. *Exempla vid. apud Val. Max. d)*

d) Val. Max.

§. 4. Amorem insequitur Desiderium, & definitur *Lib. IV. c. 6.*
quod sit affectus appetitus concupiscentis in bonum absens & DESIDE-
conveniens. *Differt ab amore, quod amor sit præsen- RIUM.*
tium, desiderium verò absentium bonorum, & quod desi-
derium sit affectio amoris perpetua eundemque comi-
tetur. Est autem tam vehemens affectus, ut hinc
indè cujusdam Imperatoris symbolum fuerit: *Quod*
cupio vehementer cupio. Causa hujus affectus est bonum
absens, quo caremus conceptum ut conveniens, v. g. ægro-
ti sanitatem tanquam bonum absens & conveniens
anxiè desiderant &c. Effecta essent demonstranda;
vetum quia eadem sunt, quæ amoris, quæ modo recen-
fimus non repetenda esse putamus.

§. 4. Odium quod amori opponitur, est affectus *ODIUM.*
appetitus concupiscentis, quo quis sibi vel alteri malum vult
sine ullo emolumento. Sibi quis malè velle dicitur, non
formaliter, sed materialiter, non quatenus tale vide-
rur, sed sub specie boni; aliàs nemo Propriam odio
habuit carnem, & natura quæ nos genuit teste Tauro Phi-
losopho e) in ipsis statim principiis, quibus nati sumus, nobis e) A. Gell.
induit amorem nostri, ita prorsus, ut nihil quicquam esset cha- Noct. Att.
rius nobis quàm nosmet ipsi. Causa est vel verè malum, L. XII. c. 5.
vel apparenter malum, vel planè occulta àντιπείρα (sive
odium naturale). Sic boni rectè vitia tanquam ve-
rum malum. mali verò, Leges & magistratus tanquam
apparens malum, minime rectè, odio habent. *Αντιπεί-*
ρα est, quo quis ab aliquâ re cause ignarus abhorret. Et
inter homines æquè ac bruta frequentissima est, va-
let q̄ illud Martialis de Sabidio. f.)

f) Epigr. L. 1.
Epigr. 32.

B 3

Non

Non amo, te Sabidi, nec possum dicere quare,

Hoc tantum possum dicere, non amo te.

Effecta odii sunt. 1. Fuga à malo quod odimus, 2) de-
g) Publ. Sy- *trimentum ei, cui male cupimus, hinc Publ. Syrus. g) Quem*
rus. *quisq; odit, hunc perisse expetit. 3. Dolor cui si nimius exi-*
stat corporis aegritudo insequitur, &c.

FUGA,

§. 6. *Quemadmodum amor, odium, ita deside-*
rio opponitur Fuga, que est affectus appetitus concupiscen-
tis, quo, quis adversatur malum absens, conceptum ut non con-
veniens. Quæ odii causa, quæ Effecta, non est ut re-
petam, quia in antecedentibus, cum explicaretur A-
mor & desiderium, audivimus.

GAUDIUM

§. 7. *Gaudium describitur, quod sit affectus appetitus*
concupiscens ob bonum vel re ipsa vel per phantasiam presens.
Differt à letitia & hilaritate, ut res signata à signo. Hi-
laritas enim & letitia, verum indicium interni gaudii
sunt; & letitia in gestibus, hilaritas in vultu conspicitur,
gaudium verò in corde residet. Quoniam etiam
gaudio opponitur tristitia & contrariorum eadem est cogni-
tio; sæpius etiam evenire solet, ut gaudium præsens, sit

h) Ovid. Lib. 7. Metam. initium doloris consequentis secundum versum: h)
Gaudia principium nostri sunt sæpe doloris.

TRISTI-
TI A.

conjunctionem tractaturi sumus. Desinitur itaq; tristitia
quod sit affectus appetitus concupiscens super malo, vel re ipsa
vel per phantasiam presente. Causa Gaudii est bonum presens vel
re ipsa vel per phantasiam, & ejus contrarii malum. Effecta ho-
rum duorum affectuum paululum secedere videntur. Quum
Effecta gaudii ferè eadem sint, quæ amoris; Effecta verò tri-

i) Coll. Eth. Exerc. XII. stitiæ varia habentur quæ videri poterunt apud Heereb. i)
Aphorismus. VI.

Porro, in facultate irascentis quinque
sunt

sunt species, Spes, nimirum, Desperatio,
Timor. Audacia & Ira.

Exegetis.

§. 1. Ut in antecedentibus affectuum appetitus concupiscentis, Definitionem, Causam & Effectum perpendimus: eodem modo & ordine in presenti aphorismo affectus appetitus irascentis tractaturi sumus.

§. 2. Primus verò in facultate irascentis affectus dicitur *Spes*, quæ tendit in bonum absens, arduum & possibile. Attamen, non intelligimus, neque describimus hanc *Spem Theologicam*, quæ nihil aliud est, quam fiducia in Christum, neq; omnium hominum sed tantum fidelium; sed *spem illam Politicam* quæ accipitur pro appetitione quâdam futuri, comparabilis cum difficultate, & invenienda in omnium hominum animis est. S P E S.

§. 3. Causa est bonum absens arduum & possibile. v. g. Honores, sunt bonum arduum & difficilis adeptionis. Effectus hujus affectus valde necessarii in hac vita reperiuntur. Nam producit, 1) voluptatem, quâ remotâ, nemo ullum in agendo laborem susciperet; illâ verò præsentem, homo attentus ad rem præsentem redditur; quo respicit Germanorum proverbium: Lust und Liebe zu einem Dinge, macht alle Mühe und Arbeit geringe. 2) Contemptum acerbissimum, laborum & calamitatum &c. id quod optime expressit Ovidius. a) a) Ovid. Lib. 1. de Ponto. ita canens:

*Hæc facit, ut vivat fossor quoq; compede vinculus,
Liberatq; à ferro crura futura putet
Hæc facit ut videat cum terras nondiq; nullas
Naufragus, in mediis brachia jactat aquis.*

Sæpe

*Sapē aliquem solers Medicorum curā reliquit,
Nec spes huic vena deficiente cadit.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem
Atq; aliquis pendens in cruce vota facit.*

DESPERATIO.

§. 4. Secundus in ordine est Desperatio, quæ spei in defectu opponitur, & definitur, quod sit affectus appetitus irascentis quo quis recedit ab appetitione boni, ex opinione se nunquam illo potiturum. Arguit autem desperatio animum abjectum & angustum, respicitq; primario malum ob imbecillitatem virium ad consecutionem boni. Causa est torpor mentis, & abjectio opinionis, præsertim accedente metu malorum, quod videre est in fœtibundis. Effecta, sunt vel incuria rerum, vel colluvies improborum factorum, unde etiam magistra crudelitatis dicitur; vel etiam impatientia.

TIMOR.

§. 5. Timor est demissio animi propter expectationem futuri mali. Differt à tristitia, quod hæc respiciat malum præsens, at timor futurum. Cause sunt malum impendens, (quale malum hodiè non immeritò bellum Gallicum dicitur,) mors, cruciatus, infamia, bonorum amissio & id genus alia. Effectus varii habentur, quippe nocet corpori & animo plus quàm cæteri affectus. Imò restantur Autores metum morte esse pejorem: hinc acutus ille naturæ indagator Seneca b) dixit: Homines magis metuunt metum quàm ipsum mortem. Proindè multos præ metu animam exhalasse legitur.

b) Seneca.

AUDACIA.

§. 6. Audacia quæ spei est soboles, & timori tanquam extremum longè distitum opponitur, definitur, quod sit affectus appetitus irascentis, quo animus in magnis ac periculosis rebus multum fiducie concipit & fidit, se superaturum mala & incommoda. Cause sunt, vel imaginatio propria virtutis, vel calor cordis, vel ingenium præceptis & minus exer-

*exercitatum. Effectus sunt. 1. sanguinis diffusio, unde
pictores fortem atque audacem delineantes heroem
nervos elatos pingere videmus. 2. commotio & re-
dundantiabilis, ab impetu animi &c. Et licet audaces for-
tuna sapissimè adjuvet, uti videre est in *Alex. M.* qui
propterea à *Dario* temerarium dictus est animal. b) in b) *Curt. lib.*
Atheniensibus, qui spreto bono consilio prosperè *IV. c. 14.*
administrarunt: c) attamen etiam multorum est *Val. Max.*
auctor malorum. Nisi enim *Milo* suis viribus confi- *Lib. II. c. 12.*
differ; non compressus esset ab arbore.*

§. 7. *Ira est affectus appetitus irascentis quo quis ul-
torem appetit, se aut sua contemni videns. Liebenthal d) d) Coll. Eth.*
duplicem in irâ motum cordis refert; 1. *Astrictionem Exod. 6.*
& quasi compressionem ortam ex malo presenti. 2. *Dila-
tationem, quâ cor malum propulsare & in ipsum autorem
conjicere conatur. Cause sunt vel interiores & à natura, vel
exteriores, ut persona molestiam creans, vel tempus, lo-
cus aliaq; Effectus quoq; habentur duplices, vel ex ipsius
natura, vel ex eventu; quos tamen heic studio omitti-
mus cupidumque lectorem ad A. Gellium ablega-
mus. e)*

c) *A. Gellius.*
Noct. Att.
Lib. I. c. ult.

Aphorismus. VII.

Remedia affectuum considerantur, tum
in communi tum in specie.

Exegetis.

§. 1. *Remedia affectuum vocantur, quibus ad au-
ream mediocritatem revocari possunt. Horum alia commu-
nia, alia specifica; vocavimus. Illa vulgò triplicia esse
dicuntur; alia naturalia, alia moralia, alia deniq; superna-
turalia.*

§. 2. I. *Remedia adhibenda sunt naturalia, sc. incli-*

C

natio

ratio & temperamentum diligenter & accuratè sunt exploranda, & quoad fieri potest, corrigenda in meliusq; mutanda. Nam cum affectus hominum ut plurimum sequantur temperamentum corporis, igitur temperamento in melius mutato facilè etiam mores & affectus in melius mutantur; & contra temperamento in deterius vergente affectus etiam difficilius compescuntur. Corrigitur autem temperamentum partim Medica ope, partim diata, partim exercitiis corporis, de quibus consulendi sunt Medici.

II. Adhibenda sunt *remedia moralia*, ut cohortationes ad bonum, dehortationes à malo, rationes, exempla atque definitiones, & circumscriptiones virtutum & vitiorum &c.

III. *Remedia supernaturalia* sunt adjicienda nempe, ex verbo Dei argumenta consolationis sunt adducenda, ex quibus etiam spiritus perturbatissimi recreationem haurire possunt. Verbum enim Dei in movendis hominum cordibus maximam habet efficaciam. *Reperimus enim, teste Ambrosio a) in illo solitudinis nostræ solatium, curarum levamen, ægritudinis remedia & omnium deniq; periculorum firmissimum atq; tutissimum asylum. Sed, de his Theologi.*

§. 2. Hisce remediis adductis, *speciatim* quædam in medium proferamus. Et quidem. I. *Amoris illiciti & impuri, non liciti & puri, quia non nisi morbis inferenda sunt remedia. I. autem remedium est negotium. sive cura rerum tractandarum: labor enim vincit omnia, E. & amorem. Deindè cum sine muneribus nemo amare possit, & pauper & egenus amator, raro gratiam inveniat apud Amasiam, egestas & pauperies remedia erunt tutissima. Tertium remedium est re-*
sorda-

*cordatio fructuum foedi illius affectus. Quid quaeso
sectatores hujus amoris aliud adipiscantur, quam
turpitudinem, infamiam, dedecus nonnunquam
etiam morbos. Quartum & precipium remedium est de-
vota precatio, qua flamma amoris illiciti efficacissime
extinguuntur.*

§. 3. *Remedia Desiderii eadem ferè sunt, quæ sa-
nando amori in ordinato præscripsimus, addemus ta-
men adhæc quædam alia, & quidem primò monemus,
ut unusquisq; nimis alta fugiat, & moderatè de se sentiat, ne
spem suam cum rusticulo illo, qui magna de ollâ suâ
melle impletâ sibi persuasit, amittat. Deindè ut desi-
stat ab immodico desiderio, rerum multarum & sua sorte,
quisque contentus vivat. Deniq; ut contemptum
bonorum, opum, illarumq; rerum, quæ oculis mortalium
splendorem injicere possunt amet, hoc peracto desi-
derio frena injiciet insolubilia.*

§. 4. *Gaudii immoderati remedia cum eadem sint
quæ amoris & desiderii immoderati, non est quod repe-
tamus: Sed statim nos convertamus ad odium, cujus
unicum saltem tamen probatissimum invenimus re-
medium charitatem, quicumque enim in charitate fla-
grat, non facile concipiet Odium. Id quod Cbylo b) b) A. Gell.
Noct. Att.
Lib. 1, cap. 3.
unus ex illo inchyto numero sapientium indicare voluit,
dicens: Odium ita finiam, ut te nunc oderim, tanquam
fortassis post amaturus.*

§. 5. *Remedia fugæ seu averfationis, sunt cobi-
bitio opinionum, & de malis non aliter, quam idesse, quod sunt
existimare, sin minus, frustra in iis fugiendis labora-
mus. Remedia Tristitiæ partim sunt Medica partim Phi-
losophica. Medica sunt balnea & somnus de quibus consulen-
di sunt*

*di sunt Medici. Philosophica remedia sunt, i. consolatio ami-
corum, faciunt enim consolando se participes calami-
tatis nostræ; Deinde contemplatio, rerum altissimarum
& conversatio cum aliis hominibus. Postremò effica-
cissimum est remedium conditionis vite humana malo-
rumq; consideratio, mitigat enim vim doloris considerata equi-
tas ferientis* c) Et tantum de remediis affectus appe-
titus concupiscentis; transeamus ad affectus irascentis.

c) Gregorius

§. 6. *Remedia Spei eadem ferè sunt ac Desiderii;*
transimus ad desperationem oppositum ejus. Huc per-
tinent pleraque remedia tristitiæ. *Timoris remedia*
sunt, *contemptus divitarum*, qui enim divitias non a-
mat, fures non timebit. Sic, qui vitam odit optat
mortem &c. *Remedia audaciæ sunt primo, moderata dese-*
opinio: deinde, non levis de viribus adversariorum existima-
tio, nihil enim tuto in hoste despicitur & sæpe con-
temptus hostis cruentum certamen edidit, imò in-
clyti populi Regesq; per levi momento victi sunt.
Sic, Dion duabus navibus onerariis ex pugnavit Di-
onisi maximum imperium cum contemneretur. d)
tandem *experientia rerum, usus namq; in omni arte*
facit artificem.

d) Corn.
Nep. Imp.
X.c.5.

§. 7. *Operæ precium nunc est, remedia iræ ad-*
ducere quoniam difficilis apparet ejus curatio. Pri-
mo autem omnis suspicio est removenda, hoc vel illud in
contemptum nostrum vel nostratum factum esse,
cogitandumque suspicionem nonnunquam vim inferre ve-
ritati e) Deinde de se ipso, idem committi posse sentiendum;
Tertio levissimorum animorum esse irasci &c. plura inve-
nies in Exercit. Eth. Heereboord. f)

e) Seneca.
f) Heerebo-
Exerc. Eth.
XXI.

Apho-

Aphorismus VIII.

Ex dictis patet erroneam esse Stoicorum sententiam statuentium, affectus non ad mediocritatem redigendos, sed planè eradicandos esse.

Exegesis.

§. 1. Stoici ut vulgo Ethici tradunt, docuerunt affectus esse opiniones depravatae rationis, & accidentia mala, indeque eos delendos, & ex animis hominum eradicandos esse. Verum erroneam esse hanc Stoicorum opinionem facile constabit, illorum soluto Argumento. Est. a. tale.

Quaecunq; accidentia sunt mala & opiniones de pravata rationis, illa debent eradicari,

Atqui affectus sunt accidentia mala & opiniones depravatae rationis E, Sunt eradicandi.

Ex quo argumento sequeretur nullum affectum esse indifferentem, sed omnes per se malos; quod tamen falsissimum: nam habent ipsum Deum autorem qui fons & origo boni est, ergo non possunt esse per se mali: Ille enim non tantum brutis animalibus illos increavit, verum etiam in homine approbavit, quem admodum hinc inde patet ex sacris literis.

§. 2. Rejicimus autem erroneam illam Stoicorum sententiã, & cum Aristotele affectus neque malos neque bonos in se esse statuimus, hinc ita argumentamur.

I. *Quaecunq; in se neq; bona neq; mala sunt, illa non sunt eradicanda, Atqui*

Affectus, qui etiam in nobis in vitis nascuntur in se neque boni neque mali sunt, E.

Non sunt eradicandi.

Probamus minorem per inductionem multis enim indigemus affectibus ad virtutes, hinc *ira* dicitur *cos fortitudinis*: si verò hic affectus abesset, essetque malum quoddam, nihil ad fortitudinem conferre posset.

II. Quicquid ex se producit aliquod bonum illud non est eradicandum. Atqui

Affectus bonum aliquod producunt. E.

Multos enim affectus alios actus bonos ex se gignere nemo facile negabit. Sic *amor* benefacit proximo, *spes* erigit afflictos &c. Quare omnino cum *Peripateticis* hic facimus, & affectus funditus extirpari nec posse nec debere existimamus.

Aphorismus IX.

Cæterum affectuum comites perpetui sunt Voluptas & dolor.

Exegetis.

§. 1. *Adjuncta & comites perpetui, affectuum hactenus consideratorum, habentur voluptas & dolor: Hinc ratione Objecti alii dicunt virtutem versari, circa dolorem & voluptatem; alii circa affectus; nec tamen in redissentunt, Conf. Beatus Wendlerus. a)*

a) Wendl.
Eth. cap. VI.
n. 10.

§. 2. *Intelligimus autem h. l. per voluptatem, motionem illam passivam à rebus gratis & jucundis proveniente; & per dolorem illam motionem passivam, quæ ex Objecto malo, ingrato, & in jucundo provenit. Voluptate enim animal movetur, non movet, sic homo voluptate afficitur, non afficit. b)*

b) Lieben-
thal Coll.
Eth. Exer.
VI. n. 10.

§. 3.

§. 3. *Voluptatem & Dolorem*, virtutum & vitiorum Objecta generalia esse, VI. probatur à Philosophorationibus. Et primum quidem argumentum sumitur à virtutis officio, quod est moderatio affectuum, ut enim turpes actiones fugiamus & honestas appetamus, causæ sunt *Voluptas & dolor*, quæ præcipuæ inter affectus sunt, nos ad aliquid faciendum vel omittendum impellentes.

II. *Desumitur ex loco conjunctorum.* Videmus enim omnes actiones, comitari aut aliquam *voluptatem* aut *dolorem*: Sed virtus circa actiones & affectus est. Ergò etiam circa ejus conjuncta nempe *voluptatem & dolorem*.

III. *Quia virtus medetur vitiis*, remedia autem partim in *voluptate*, ut in distributione præmiorum: partim in *dolore*, ut in castigatione videre est.

IV. *Desumitur ab effectu doloris & voluptatis*: *voluptas* enim & *dolor* morales habitus vel meliores vel deteriores reddunt, virtus autem circa habitus morales versatur. Ergò.

V. *Quia homines majori ex parte actiones suas assimilant dolore & voluptate*, & virtutis primum munus est docere, quo pacto actiones rectè assimilare debemus.

VI. *Quia virtus versatur circa difficillima & voluptati resistere aut doloribus cedere est difficillimum* Ergò. Undè *Heracitus* rectè dixit: *Difficilius est voluptati quam ira resistere.*

Atque hæc sunt, Lector Benivole, quæ de affectibus pro viri-

virili scribere constitui. Si verò parum quid expoli-
cum his inhæret, da veniam, imposterum cum Deo
& tempore plura & accuratiora scribere promitto.
Tu verò summe DEUS pugnam affectuum & ratio-
nis nostræ dirige, ut malum fugiamus & bonum e-
ligamus.

T A N T U M.

12.43

Was die Affecten sein? und wo sie her entspringen?
Auch wie man sie geschickt zur Tugend machen kan?
Daß sich nicht schâmen darff ein Tugendhaffter
Mann /

Wenn Er dieselben fûhlt auff seine Seele bringen /
Weil Er sie nach der Schnur der Tugend weiß zu zwingen:
Das zeigt Herr Pauli hier mit schönen Gründen an /
Als der der Sitten - Kunst für andern zugethan;
Drumb wird sein Ruhm sich auch bis an die Sternen schwingen.
Ich wündsche Glück und Heil zu dem verfolgten Fleiß!
Gott / der die Seinigen gar wohl zu suchen weiß /
Der wolle seine Müß' und löbliches Beqinnen /
Erquickten dermaleins mit seinem Seegens - Tau /
Damit / geehrter Freund! sein angefangner Bau
Bald möge seinen Zweck / wie Er verlangt / gewinnen!

Dieses schrieb zu Ehren seinem viel-gehrten und bis an-
bero denen Studis fleißigst-ergebener Herren
Landesmann

M. Nicolaus Benedictus Pascha,
Fac. Phil. Adj. von Zittau.
PRÆSES.

Handwritten text on the left page of the manuscript, including the letters 'H' and 'R'.

Printed text on the right page of the manuscript, including the letters 'TI' and 'ibus.'.

